



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Colimbriensi Et Aliis Episcopis in regno Portugalliae constitutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

tentem, quo recepturæ sententiam nostræ se conspectui præsentarent. Interim autem in procuratore idoneo Lingonensi Ecclesiæ præcepimus provideri. Cùm autem prædictus Decanus & socij ejus cum prædictæ commissionis literis recessissent, dilectus filius E. Archidiaconus Lingonen. advenit: ad cujus instantiam te fili magister P. duximus eidem negotio adjungendum; cùm in primis literis esset expressum, ut tu, frater Episcope, viros tibi prudentes ascires. Volentes igitur ut tenorem prædictæ commissionis inviolabiliter observetis, licet ex abundantia, ad multam tamē instantiam Archidiaconi memorati, discretioni vestrae præsentium auctoritate mandamus quatenus si dictum Episcopum per judicium inveneritis innocenter, ipsum non solum ab interdicti sententia, verū etiam ab impetitione Decani & Capituli super objectis appellatione postposita penitus absolvatis. Personales autem quæstiones, si quas idem Episcopus & tam prædictus quam major Archidiaconus adversus Decanum vel aliquos Canonicorum habuerint, auditatis, & sublato appellationis obstaculo curetis fine debito terminare; talem in procuratorem ipsius Ecclesiæ interim deputantes, qui neutri parti esse debeat de ratione suspectus. Datum Laterani IV. Idus Februarij.

COLIMBRIENSI ET ALIIS
Episcopis in regno Portugallie
constitutis.

Epiſt. 554.
Diſſeruentiam
inter edictum
generale & par-
ticulae decla-
ra-
re.
Cap. Olim in
partibus. De
erubore signifi-
catione.

CVm in partibus vestris, peccatis exigentibus, sèpius contingat diversa loca interdicto supponi, quando generale vel particolare dici debeat interdictum, apud vos accepimus in dubium revocari; cùm illi qui ab Ecclesia Romana decorari privilegio meruerunt, videlicet, ut cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat eis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce divina officia celebrare, interdicto particuliari se afferant non arctari, afferentes illud interdictum generale duntaxat, quando regnum vel saltem provincia tota subjicitur interdicto, propter quod & justitia sèpius deperit, & Prælatorum sententiæ contemnuntur, cùm in aliis interdictis provinciis divina celebrent, & suspensis organis aliorum, ipsi pulsatis cam-

panis, & apertis januis, quoilibet passim recipiant ad divina. Ne autem diversa interpretatio discordia causam inter vos ulterius & odij fomitem valeat ministrare, vel quod interdictum dici debeat generale, amodo in dubium revocetur, significatione vobis præsentium intimamus, quod cùm in privilegiis de regno vel provincia nihil expresse dicatur, nomine terræ non solum regnum vel provinciam intelligi volumus, verū etiam villam & castrum; ut & in his locum habeat quod de generali dicitur interdicto, videlicet, ut cùm villa vel castrum generali subjicitur interdicto, præscripta privilegij forma debeat observari. Datum Laterani VII. Idus Februarij.

ARCHIEPISC. ET CAPITVLO
Pisano.

Epiſt. 555.
Ut cives suos
horcētus illam
pacem atque
concordiam fer-
vare, quam re-
liqui ordines
Thuscæ ser-
bant.

Vide ſuprā epift.
56.

Civitatem Pisianam multum dilexit haec tenus, & in multis studuerit honorare, sicut operis exhibitio, quæ probatio est dilectionis, evidenter ostendit; nos, qui, licet indigni, ad apostolatus officium sumus Domino faciente promoti, prædecessorum nostrorum & præcipue Ianitæ memoriae Innocentij Papæ volentes vestigiis inhærente, si quod nobis occurrunt per quæ honori Ecclesiæ vestrae ac civitatis debeat derogari, ab eis vos & cives vestros curamus propensiùs revocare; quemadmodum vice versa vos & ipsos ad exequenda illa libentiùs intendimus adhortari, unde possit communis utilitas provenire. Sanè cùm bona memoriae Celestini Papæ prædecessoris nostri temporibus Legati apostolice sedis civitatem Pisianam ſuppoſuerint interdicto, pro eo quod cives Pisani à generalibus institutis patriæ deviabant; quia tamen forma tractatus illius nobis primitus oblata non placuit sub eo tenore, ad petitionem & instantiam Pisianorum interdictum duximus relaxandum; ut si, correctione adhibita, forma concordia nobis placeret in posterum, eam nobiscum pariter recipere tenerentur. alioquin civitas ipsa reduceretur in sententiam interdicti. Exinde verò dilecti filij Prior & alij civitatum reatores ad nostram præsentiam accedentes, tractatum concordia nobis & fratribus nostris pariter obtulerunt: in quo, post correctionem adhibitam, nihil invenimus quod in ecclesiastici juris vel cu-

Rr ij